

Vir frugi et ornatissime. Accepi litteras tuas, quas Georgius noster attulit simulque omeliarum codicem. Ago tibi ingentes gratias, qui antequam me vel videris vel noveris donare singularibus muneribus voluisti. Fuit michi voluptati vetustissima libri elementa insuetosque nostro seculo characteres intueri. Dura ab initio lectio erat, sed *pertinax*⁴² usus *omnia vincit*. Lego iam nedum sine labore, sed cum iocunditate. Quidquid est, quod ex me optabis, iam est obtentum fiuntque littere, / quas tibi Gregorius destinabit. Si quid plus est, quod ex me velis, paratum promptumque habes animum. Quas michi attribuis laudes, agnosco non esse meas. Nam etsi aliquid dicendo scribendoque sim assecutus, plures tamen viros habet hec etas, quibus me imparem scio quorumque vellem non ineptus reputari discipulus. Vale et quem sic cepisti amare persevera.

3

Eneas Silvius Piccolomini tadelt Prokop (von Rabstein), Leonhard (Felsecker) und Gregor, dass sie aus Wiener Neustadt, wo sie ihren Vergnügungen nachgingen, nichts von sich hören ließen, und entschuldigt sich scherzhaft für die Ruhestörung durch seinen Brief.

(erste Hälfte des Jahres 1446)

SLUB Dresden, Mscr. Dresd. F.172.c, fol. 72r–v.

Procopio ac Leonhardo preclaris equitibus, Gregorio quoque iuveni morato et solerti, amicis suis carissimis Eneas Silvius salutem plurimam dicit. Credo vos in paradiso deliciarum esse, qui nichil ad me vel scribitis vel significatis. Sic mos hominum est. Nemo qui fortunatus est, infelicis amici recordatur. Sed habeatis vobis (vos *Hs.*) Novam Civitatem, habeatis scaturientes et salientes aquas, habeatis purum et recentem aerem, habeatis vobis arma, vobis equos, vobis quascumque optatis delicias. Nobis Vienna sat est. Si non memineritis nostri, nec nos vestri memoriam habebimus, quamvis equi leonardites dietim aliquos in pedibus cedant et in capite dolorem faciant. Vos micibus hungaricis fruimini, nos golinis utimur⁴³. Utinam vos huc potius vocari quam nos istic contingat! Sed puto aerem vestrum obtenturum. Parcite

42) *Livius*, *Ab urbe condita* 25,14,1: vincit tamen omnia pertinax virtus.

43) Die Objekte, um die es hier geht, lassen sich nicht identifizieren, da keines der üblichen Lexika diese Vokabeln verzeichnet. Dass Piccolomini micis, eine in Früh- und